



422

quod illa pars, quae iam mons dicitur Acheldamah, propter agrum totum olim mons Gyon sit appellata, mons scilicet et accubitus montis, sicut contingit cum monte Syon, et cum monte Calvariae, ut dixi, et cum monte Synai, et cum monte Oreb; nam pars inferior dicitur mons Synai, superior vero mons Oreb; et cum monte Oliveti, in quo pars inferior ad austrum dicitur mons offensionis, et pars superior mons Oliveti. Sic mons ille a valle usque ad agrum dicitur mons Acheldamah, ab agro sursum dicitur mons Gyon. Ascendimus ergo montem Acheldamah per clivum praecipitem, et per scopulos et rupes nos sursum traximus, et in hortos ficorum, malogranatorum, et aliorum pomorum venimus. In his hortis erant multae rupes, elevati in altum, et parietes petrarum, in quibus erant incisae speluncae, simplices, duplices, triplices, et quadruplices; de quibus dixi, fol. 124. B. Has rupes et petras antiqui pro suis sepulturis exciderunt, sicut dixi fol. 157. A. Et postea tempore Christianorum homines terrae sanctae affecti sibi cavernas illas pro habitaculis elegerunt, nolentes nisi in sepulchris habitare, ut ibi cum gaudio mortem exspectarent. Et quando aliquis de antiquis sanctis potuit sibi acquirere habitaculum tale in terra sancta, putabat se thesaurum invenisse. Unde de illis Job. 3. dicitur: quasi qui effoderunt thesaurum, sic gaudent vehementer, cum invenerint sepulchrum. Ad has cavernas confugerunt Apostoli, dum a Domino de horto recesserunt, quando ligatus trahebatur ad episcopos. Magistrum enim tam dulcem deserere erat eis intolerabile, sequi vero impossibile, nec erat aptior manendi locus, nisi sub terra, caverna obscura; quaerebant enim in ipsis speluncis penetrare profundius usque ad interna, si possibile esset, terrae viscera, ut saltem ibi invenire possent altius gemendi, flendi, clamandi et ululandi locum. In orificiis siquidem cavernarum consistentes non audebant altos ejulatus et clamores emittere, ne audirentur, sed in pectore quantum valebant, retinebant clamorem cum dolore. Et adeo ipsa pectora repleta erant moerore, et guttura, facies, capita oris intumescebant, ora sua vestimentis obstruebant, ne gemitus erumpentes eminus audirentur. In hoc ergo sacro loco cum compassione processimus de caverna in cavernam, dispersique sumus per antra, et loca

437

435

441

431

446

426

486

386

336

Ende

Anfang